

At contraria omnino sunt principia Aristotelica et Thomistica. Intelligibile enim in actu est intellectus in actu. In his quae sunt sine materia, idem est intellectus et intellectum. Secundum hoc tantum aliud est intellectus et aliud est intelligibile, quia utrumque est in potentia ⁴².

Obicitur denique adeo perfectam esse conscientiam intellectualem ut necessario in Deo perfectione infinito ponatur.

Respondetur. Quoad se, conceditur. Quoad nos, negatur. Nam in Deo processio Verbi omnino necessaria et omnino perfecta est. Sed in his quae naturaliter de Deo cognoscimus, non demonstratur conscientiam intellectualem esse perfectionem puram, et ideo non demonstratur eam esse in Deo ponendam. Et ex his quae fide credimus, minime ad perfectam intelligentiam pervenimus; imo inter se pugnare videntur et realitas emanationis et consubstantialitas emanantis, et ideo haec duo simul vix considerare possumus.

QUAESTIO III

UTRUM VERBUM PROCEDAT EX INTELLIGENTIA CREATURARUM.

Et videtur quod non, cum Verbum Dei sit necessarium et aeternum, creaturae autem sint contingentes et ex tempore.

Sed contra est doctrina S. Thomae ⁴³ nempe, Deum uno actu intelligere se et creaturas, unoque Verbo dicere se et creaturas; praeterea, sicut intelligentia divina est sui cognoscitiva, creaturarum autem et cognoscitiva et factiva, ita Verbum Dei est Dei expressivum, creaturarum autem et expressivum et operativum ⁴³.

Ad solutionem autem difficultatis praemissae, animadvertendum est non omnes theologos analogiam psychologicam eodem modo intelligere. Qui enim concipiant verbum ex obiecto procedere sicut actus videndi ex coloribus, haud admittere possunt Verbum divinum ex creaturis procedere. Qui autem, altius quodammodo considerantes, verbum ex notitia obiecti procedere concipiant, minorem patiuntur difficultatem, cum obiectum non causa simpliciter sed concausa quaedam sit. Qui vero ad rationem conscientiae intellectualis penetrent, nullam habent difficultatem; quod tamen perspicui oportet.

⁴² *Sum. theol.*, I, q. 14, aa. 2 et 4.

⁴³ *Sum. theol.*, I, q. 34, a. 3.